

bilis, & stupenda verecundia, mira patientia, virginalis incessus, & vera pudicitia habitus, sermo semper modestus, & suo in tempore proferendus: ut qui te viderit, admiretur, & dicat: Quæ est hæc nova inter homines gravitas: Quæ pudoris verecundia? Quæ honestatis modestia? Quæ maturitas sapientia? Non est ista humana institutio, nec disciplina mortalis. Cæleste hic aliquid in corpore humano refulget. Puto quod habitat in quibusdam hominibus Deus. Et cum te filiam Christi cognoverit, majore stupore tenebitur, & cogitabit qualis iste Dominus sit, cujus talis ancilla est. Si vis ergo partem habere cum Christo, Christi tibi exemplo vivendum est: qui ab omni malitia & nequitia ita fuit extraneus, ut ne inimicis quidem vicem redderet, quin potius pro ipsis orabat. Nolo enim ut eas animas Christianas existimes esse, quæ aut fratres, aut sorores, non dico oderunt, sed etiam proximos toto corde conscientia coram Dei testimonio non diligunt: cum Christiana Christi similitudine, inimicos etiam amare necesse habeat. Si sanctorum cupis habere consortium, à malitia & nequitia cogitatu pectus emunda. Nemo te circumveniat, nemo fallaci sermone seducat: non nisi sanctos & justos, & simplices, & innocentes, & puros cælestis aula suscipiet. Nullum apud Deum habet locum malitia. Ab omni nequitia & dolo mundum necesse est esse, qui cupit regnare cum Christo. Nihil tam contrarium, nihil tam execrabile Deo, quam aliquem odisse vel lædere velle. Nihil tam probabile, quam omnes amare. Quod Propheta prospiciens testatur, dicens: Qui diligitis Deum, odite malum. Vide ne aliquam humanam gloriam diligas: ne & tua inter eos portio computetur, quibus dictum est: Quomodo vos potestis credere gloriam ab invicem querentes? Et de quibus Propheta dicit: Auge eis mala, auge mala gloriosis terræ: ut confundamini à gloria vestra, & opprobrium fiat in conspectu Dei. Nolo enim illas respicias, quæ sæculi non Domini sunt virgines: quæ propositi sui & professionis immemores, gaudent in deliciis, in opibus delectantur, & corporis nobilitatis origine gloriantur. Quæ profecto si Dei filias se esse crederent, nunquam post divinos natales nobilitatem admirarentur humanam, nec gloriarentur in quolibet patre honorato. Si patrem Deum se habere sentirent, nobilitatem carnis non amarent. Quid tibi in generis nobilitate blandiris, & complacere? Duos homines ab exordio fecit Deus, ex quibus totius humani generis sylvæ descendit. Mundanam nobilitatem non naturæ æquitas præstat, sed cupiditatis ambitio. Certè omnes per divini lavacri gratiam æquales efficiuntur, ut nulla inter eos discretio esse possit, quos nativitas secunda generavit, per quam tam dives quam pauper, tam servus quam liber, tam nobilis quam ignobilis Dei efficiuntur filii, & terrena nobilitas splendore gloriæ cælestis adumbratur, & nusquam omnino jam comparet: dum quæ retro in sæcularibus honoribus impares fuerant, cælestis & divinæ gloriæ nobilitate restituantur æqualiter. Nullus ibi jam ignobilitatis locus, nec degener quisquam est, quem divinæ nativitas ornat nobilitas: nisi apud illos qui non putant humanis cælestia præponenda. Aut si putant, quam vanum est ut sese illis in minoribus præferant, quos sibi in majoribus pares esse sentiant? & quasi infra se positos in terra existiment, quos sibi in cælestibus æquales crederint? Tu autem quæ Christi, non sæculi virgo es, omnem præsentis vitæ gloriam fuge, ut omne quod in futuro promittitur consequaris. Contentionum verba & animositatis causas evita. Discordiarum quoque & litium occasiones subterfuge. Nam si, juxta Apostoli doctrinam, servum Dei litigare non decet, quanto magis ancillam Dei non expedit? Cujus quo verecundior est sexus, animus debet esse modestior. Linguam à maliloquio cohibe: & ori tuo legis frenos impone: ut tunc si forte loquaris, quando tacere peccatum sit, caveas ne quid quod in reprehensionem veniat, dicas: Lapis emissus est sermo prolatus. Quapropter diu antequam proferatur, cogitandum est. Beata quippe labia sunt, quæ nunquam quod revocare velint, emittunt. Pudicæ mentis debet etiam sermo esse pudicus, qui ædificet semper magis quam aliquem destruat audientem: secundum hoc quod Apostolus præcipit, dicens: Omnis sermo malus de ore vestro non procedat: sed si quis bonus est ad ædificationem fidei, ut det gratiam audientibus. Preciosa Deo lingua est, quæ non nisi in divinis rebus novit verba construere: & sanctum est os, unde cælestia semper cloquia proferuntur. Absentium obtrectatores, quasi malignos scripturæ autoritate deterre. Quia etiam hoc

inter perfecti virtutes hominis Propheta commemorat. Si ante conspectum justi malignus ad nihilum deducatur, qui contra proximum non probanda protulerit, non licet tibi alterius vituperationem patienter audire, qui nec ab aliis optas recipi tuam. Injustum quippe est, quicquid contra Christi Evangelium venit, si alteri quod tibi ab alio fieri molestum est, patiaris inserpi. Linguam semper tuam de bonis loqui alluece, & auditum tuum magis ad bonorum laudem, quam ad malorum vituperationem accommoda. Vide ut omnia quæcumque bene facis, propter Deum facias, sciens ejus rei tantum te à Domino recepturam esse mercedem, quam ejus timoris & amoris causa perferes. Sancta magis esse quam videri stude, quia nihil prodest æstimari quod non sis: & duplici peccati reatus est, non habere quod creditur, & quod non habeas, simulare. In jejuniis magis quam in epulis delectare, illius viduæ memor, quæ non discedebat de templo, Deo serviens talis erat, qualem nunc virginem decet esse Christi? Divinæ magis lectionis convivium dilige, spiritualibus te satari dapibus concupisce. Illos potius require cibos, quibus anima magis quam corpus reficiatur. Carnis & vini species, quasi calor fomenta, & libidinis incitamenta fuge. Et tunc si forte vino uteris exiguo, cum stomachi dolore nimio corporis compellit infirmitas, iracundiam vince, animositatem cohibe. Quicquid illud est, quod post factam penitentiam ruborem ingent proximo, ut criminis abominationem devota. Satis tranquillam, satis quietam esse convenit mentem & ab omni perturbatione furoris alienam, quæ Dei habitaculum esse desiderat, qui per Prophetam testatur, dicens: Super quem alium requiescam, nisi super humilem & quietum, & tremement sermones meos. Omnium operum & cogitationum tuarum speculatorem Deum crede, & cave ne quid quod divinis oculis indignum sit, aut opereris, aut cogites. Cum orationem celebrare desideras, talem te exhibe, quasi quæ sis cum Deo loquutura. Quando psalmum dicis, cujus verba loquaris, agnosce: & in compunctione magis cordis quam in tinnule vocis dulcedine delectare. Lachrymas enim psallentis Deus magis, quam vocis gratiam approbat. Sicut Propheta dicit: Servite Domino in timore, & exultate ei cum tremore. Ubi timor & tremor est, ibi non vocis elatio, sed animus flebilis est, & lachrymosa delectio. Omnibus actibus tuis, diligentiam adhibe, quia scriptum est: Maledictus homo qui facit opus Dei negligenter. Crescat tibi cum annis gratia, crescat cum atate justitia, & fides eo perfectior videatur esse, quo senior est. Quia Dominus noster Jesus Christus, qui nobis exemplum vivendi reliquit, proficiebat, non atate tantum corporea, sed sapientia & gratia spirituali coram Deo & hominibus. Omne tempus in quo te non meliorem sentieris, hoc æstima perdidisse. Cœptum virginitatis propositum ad finem usque conserva: quia non inchoasse tantum, sed perfecisse virus est. Sicut in Evangelio Dominus ait: Qui autem perseveraverit usque in finem, hic salvus erit. Cave ergo, ne cui concupiscendi occasionem tribuas, quia sponsus tuus Deus zelans est. Criminosior est enim adultera Christi quam mariti. Unde pulchrè Romana Ecclesia, Apostolico sine dubio, cujus sedem obtinet, spiritu animata, tam severam nuper de hujusmodi sententiam statuit, ut vix vel penitentia dignam judicaret, quæ sanctificatum Deo corpus libidinosa coinquinatione violasset. Esto ergo vivendi omnibus forma, esto exemplum, præcede & in actu quos in castitatis sanctificatione præcurris. Virginitatem te in omnibus exhibe, nihil corruptionis objiciatur capiti tuo, cujus corpus integrum est, ut & tua sit inviolabilis conversatio. Et quoniam sicut in exordio Epistolæ præfati sumus, te Dei sacrificium factam, quod utique sanctificationem suam etiam aliis impertit, & quisquis ex eo digne sumperit, sanctificationis & ipse sit particeps. Ita ergo per te, quasi per divinam hostiam sanctificentur cæteræ, cum quibus te ita in omnibus exhibeas, ut quisquis vitam tuam, aut visum, aut auditu contigerit, sanctificationis vim sentiat, & tantum tibi intelligat gratiæ ex tua conversatione transfundi: ut dum te imitari concupiscit, Dei sacrificio & ipse sit dignus.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Nihil est in hoc opusculo nec sermonis, nec eruditionis, nec peccatoris, quod Hieronymum respiciat.

DE HIS QUÆ DEO IN SCRIPTURIS sanctis attribuantur.

OMNIPOTENS Deus Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, unus atque trinus: unus videlicet in natura, trinus in personis, solus invisibilis, solus immensus atque incomprehensibilis, solus incircscriptus, solus incorporeus & immortalis: ubique præsens, sed latens: ubique totus, sed immensus. Invisibilis est, quia in essentia sua videri non potest, Apostolo testante, qui ait: Quem vidit nullus hominum, sed nec videre potest. Et in Evangelio: Deum nemo vidit unquam. Incorporeus est, quia nullis membrorum lineamentis compositus five compactus existit: sicut veritas in Evangelio dicit: Spiritus est Deus, & qui adoratur cum, in Spiritu & veritate oportet adorare. Immensus est, quia quantitas ejus, vel qualitas à nullo (ex creaturis) metiri potest. Cui Salomon in sua oratione supplicans ait: Si cælum & cæli cælorum te non capiunt, quanto magis domus ista quam ædificavi? Incircscriptus est, quia circumscribi non potest. Illocalis est, quia de loco ad locum nequaquam transit, nec quolibet detinetur, ipso de se per Isaiam testimonium perhibente: Cælum sedes mea est, terra autem scabellum pedum meorum. Et per Jeremiam: Nunquid non cælum & terram ego impleo? Cujus immensitatem Propheta in psalms confitens ait: Si ascendero in cælum, tu illic es, & cætera. De cujus immensitate adhuc in libro Job scriptum est: Excelsior cælo est, & quid facies? Profundior est inferno, & unde agnoscis? Longior est terra: immensitas ejus latior est mari. Qui cælum & terram implet, proculdubio nullus locus est ab ejus præsentia absens. Super omnia quippe est regendo atque imperando: subitus est omnia sustinendo atque portando, non pondere laboris, sed infatigabili virtute: (quoniam nulla creatura ab eo condita per se subsistere valet, nisi ab illo sustentetur, qui illam creavit. Extra omnia est, sed non exclusus: intra omnia est, sed non inclusus.) Immutabilis est, quia ab eo quod est, omnino mutari non potest, ipso dicente per Malachiam Prophetam: Ego Dominus & non mutor. Ideo autem Deus immutabilis dicitur, quia misericordia, ira, furor, penitentia, oblitio, recordatio, & alia his similia ei non accidunt. Simplex enim natura est, & immutabilis, & imperturbata: nec aliquid est ipse, & aliud quod habet: sed ipsum est quod habet, & quod est. Immortalis est, qui mori non potest, Apostolo dicente: Qui solus immortalitatem habet, & lucem habitat inaccessibilem, quem nullus hominum vidit: sed nec videre potest. Ubicumque autem sacra Scriptura sparsim per divinos libros in Deo motus animæ, seu humana membra describit, id est, caput, capillos, oculos, palpebras, aures, nares, os, labia, cor, linguam, imaginem, uterum, manum dexteram, sinistram, digitos five digitum, brachium, alas, scapulas, posteriora, pedes: Item motus animæ, iram, furorem, oblivionem, penitentiam, recordationem, & his similia, non carnaliter juxta historiam à rectè intelligentibus sumenda sunt, sicut à Judæis & plerisque hæreticis carnaliter sapientibus, qui Deum corporeum atque localem opinantur: sed spiritualiter omnia de eo intelligenda & contuenda sunt. Si quis enim Deo humana membra seu motus animæ more humano inesse credit: proculdubio in corde suo idola fabricat. Igitur ut dictum est figuratè in Deo caput legimus, ipsam essentiam divinitatis ejus, quæ omnia præcedit: & cui omnia sunt subiecta, intelligere debemus. Capillos vero capitis ejus sanctos angelos seu universos electos accipi oportet. De quo quidem sacramento in libro Danielis scriptum est: Aspicebam donec throni positi sunt, & antiquus dierum sedes: vestimentum ejus, quasi nix candidum: & capilli capitis ejus, quasi lana munda. Hoc enim significat per vestimenta candida Dei, quod per capillos capitis ejus: sanctos videlicet angelos, & multitudinem sanctorum dealbatorum. Vel cerè ideo capilli ejus, lana munda comparantur, ut per hoc antiquus dierum credatur esse. Oculos Deus dicitur habere, pro eo quod omnia videt, & nihil eum latet. In cujus conspectu, ait Apostolus, nulla creatura invisibilis est: omnia enim nuda & aperta sunt oculis ejus.

Tom. V.

Aliter vero oculi Domini, respectus gratiæ ejus intelliguntur: ut est illud in psalmo: (Oculi Domini super justos. Item aliter oculi Domini præcepta ejus per quæ nobis lucem scientiæ subministrat, mysticè accipiuntur: ut est illud in psalmo: Præceptum Domini lucidam illuminans oculos. Palpebræ Domini, occulta & incomprehensibilia judicium ejus, five spiritalis in divinis libris ejus locutio innuitur: de quibus occultis & incomprehensibilibus sacramentis atque judiciis in psalmo legitur: Palpebræ ejus interrogant filios hominum, id est, probant. Aures dicitur habere Deus propterea, quia omnia audit, & nihil cum sub silentio lateat: de quo in libro Sapientiæ dicitur: Auris cæli audit omnia, & tumultus murmurantium non absconditur. Nares Dei, inspiratio ejus in corda fidelium: ut est illud in libro Regum: Ascendit fumus Dei de naribus ejus, id est, lachrymosa compunctio penitentium de inspiratione ejus. Facies Dei, cognitio veritatis, seu cognitio divinitatis ejus ad homines. De qua cognitione in psalmo scriptum est: Ostende nobis Domine faciem tuam, hoc est, dona nobis cognitionem tuam: quæ cognitio per filium omnibus hominibus innouit, ipso dicente in Evangelio: Nemo novit patrem nisi filius, & cui voluerit filius revelare. Aliter vero facies Dei significat invisibilem essentiam divinitatis filii Dei: de qua ipse Dominus ad Moysen per ipsum angelum respondit: Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris, (Ac si diceret, incarnationem meam videbis in novissimis diebus, divinitatem autem meam videre non poteris.) Os vero Dei, filius Dei patris, id est, Christus Dominus: de quo Jeremias Propheta ex Judæorum persona effatus ait: Quia os ejus ad iracundiam provocavimus. Aliter vero os Domini, sermo ejus five visio accipitur. De quo sermone Dei Isaias Propheta ait: Os Domini loquutum est: hoc est, verbum Filii Dei Patris, per quem omnia facta sunt: de quo in psalmo dicitur: Verbo Domini cæli firmati sunt. Et alibi: Misit verbum suum, & sanavit eos. Et in Evangelio: In principio erat verbum &c. Lingua Dei mysticè significat Spiritum sanctum: per quem Deus Pater, secretum suum manifestavit hominibus. Unde & in psalmo: Lingua mea, calamus scribe velociter scribentis. Labia Dei, mysticè utriusque testamenti consonantia intelliguntur: de quibus duobus testamentis in Proverbiis dicitur: Et divinatio in labiis ejus, in judicio non erravit os ejus. Brachium vel brachia Dei Patris, Filius ejus & Spiritus sanctus intelliguntur, sicut est illud in Isaiâ: Et brachia mea populos judicabunt. Brachium Dei Patris singulariter, filius ejus accipitur: de quo Jeremias ait ipsum ait: Et nunc Domine Deus, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti, & brachio extenso. Ideo autem filius Dei Patris brachium ejus dicitur: quia omnis creatura electa ab ipso continetur. Dextera Dei Patris, unigenitus filius accipitur: de qua in psalmo ex persona hominis assumpti dicitur: Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini exaltavit me. Aliter vero dextera Domini, gloriam & Patris æternam beatitudinem significat: de quo in psalmo ex persona patris dicitur ad filium: Sede à dextris meis. Dicitur autem dextera Dei omnis electa creatura in cælo & in terra, sicut per sinistram ejus intelligitur reproba creatura, id est, demones & omnes impii, qui ad levam positi, æterna supplicia sustinebunt. Manus Dei Patris, Filius ejus accipitur, pro eo quod per ipsum omnia facta sunt, sicut est illud in Isaiâ: Omnia hæc manus mea fecit: & per manus Domini facta sunt omnia. Aliter vero manus Dei potestas intelligitur: de qua potestate in libro Jeremiæ dicitur: Sicut lutum in manu figuli, ita vos in manu mea domus Israel. Item nonnunquam manus Domini flagellum ipsum accipitur: de cujus percussione in Sophonia Propheta scriptum est: Extendam manum meam super Judam & super habitantes Jerusalem, & disperdam de loco hoc reliquias Baal, &c. de qua Domini percussione beatus Job de seipso ait: Manus Domini tetigit me. Digitus Dei singulariter, Spiritus Sanctus accipitur: à quo Spiritu Sancto lex in duabus tabulis lapideis scripta narratur in monte Sinai. Ipse enim scripsit, qui scribenda dictavit: id est, Spiritus sanctus: de quo Spiritu Sancto Dominus in Evangelio: Ego in digito meo ejicio demonia: quod alius Evangelista aperte declarans ait: Si ego in Spiritu Dei ejicio demonia. Sicut enim digitus cum manu & brachio, manus vero & brachium cum corpore sunt in natura unum: ita Pater & Filius & Spiritus Sanctus, tres quidem sunt in personis, una vero substantia divinitatis. Di-

H ij

giti Dei pluraliter, sancti intelliguntur Prophetæ per quos Sanctus Spiritus legis ac Prophetarum libros, sua inspiratione descripsit: de quibus in psalmo dicitur: Videbo cælos tuos, opera digitorum tuorum. Per cælos enim libros legis & Prophetarum, per digitos vero sanctos, ut dictum est, Prophetas mysticè insinuavit. Imago Dei Patris invisibilis, (unigenitus est filius ejus: de quo Apostolus ait: Qui est imago Dei invisibilis.) Aliter namque est imago Dei Patris in Filio suo: quem non aliunde, sed ex semetipso, hoc est, ex substantia sua, & per omnia sibi similem & æqualem genuit. Aliter vero in anima hominis, quam non ex se, id est, de substantia sua (sicut plerique Hæretici opinati sunt) genuit, sed ex nihilo creavit. Sicut aliter est imago cuiusque regis in filio ejus, quem ex semetipso sibi similem genuit: id est, homo hominem: aliter vero in annulo ejus sive in cera imago ejus impressa, quæ non est hoc quod ipse, sicut filius, qui naturaliter hoc est, quod & Pater. Cor Dei Patris, est arcanum ejus sapientiæ mysticæ: ex quo verbum, id est filium suum impassibiliter sine initio genuit, ipso dicente: Eructavit cor meum verbum bonum. Aliter Deus dicitur habere, pro eo quod more avis electos suos tanquam pullos sub se colligit, fovet, & ab insidiis diaboli & malorum hominum protegit. De cujus protectione Propheta in psalmo ad ipsum ait: Sub umbra alarum tuarum protege me. Scapulas habere dicitur, quia infirma membra Ecclesiæ patienter quasi in scapulis suis portat: & portando protegit: sicut in psalmo dicitur: Scapulis suis obumbrabit tibi. Venter Dei, secreta origo substantiæ (vel scientiæ) ejus accipitur, (ex qua origine ineffabiliter ante omnem creaturam filium suum genuit, ipso testimonio perhibente per Prophetam, id est patre ad filium.) Ex utero ante luciferum genuit te. Aliter, uterus Dei, incomprehensibilia & occulta judicia ejus: quæ rimari nequeunt, insinuat mysticè. De quo occulto judicio ejus in libro Job scriptum est: De cujus utero egressa est glacies, & gelu de cælo quis genuit? Posteriora Filii Dei, incarnatio ejus accipitur: (quæ extremo tempore ob redemptionem humani generis facta est,) de qua posterioritate filius in monte Sinai ad Moysen per angelum loquens ait: Posteriora mea videbis, faciem autem meam videre non poteris. (Ac si diceret, Incarnationem meam videbis, divinitatem meam videre non poteris.) Pedes Dei, stabilimentum & virtus ejus est: eo quod ubique præsens est, & universa ei subiecta sunt, illo ipso dicente per Isaiam Prophetam: Cælum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Aliter, pedes filii Dei incarnatio ejus intelligitur, quæ divinitati subiecta est tanquam capiti pedes (sive pro eo quod circa finem mundi ipsa incarnatio facta est.) Sicut enim per caput, ut dictum est, divinitas: ita per pedes ejus, figuratè humanitas ejus exprimitur. De qua in Exodo scriptum est: Viderunt Dominum filii Israel: hoc est, Moyses, Aaron & Nadab & Abiu & septuaginta de senioribus populi. Et paulo post sub pedibus ejus, quasi lapis sapphirus, & quasi cælum cum serenum est. Sicut autem per lapidem sapphirum, cælestes naturas vel sanctos angelos, ita per cælum serenum, sanctam Ecclesiam electorum ex hominibus assumptam figuratè demonstrare voluit: super quas duas creaturas homo assumptus Filius Dei in perpetuum regnat. De quo in psalmo dicitur: Omnia subiecisti sub pedibus ejus. Aliter autem per Dei pedes, id est, Jesu Christi, significati sunt sancti prædicatores. De quibus in Deuteronomio scriptum est: Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina ejus. Vestimentum Filii Dei, aliquando caro ejus, quæ à divinitate est assumpta, in divinis libris figuratè accipitur. De quo indumento carnis ejus Isaias ait: Quis est iste qui venit de Edom, tinctis vestibus de Bosra? Rursus vestimenta ejusdem Domini, sancta accipitur Ecclesia, quæ per fidem & dilectionem ei conjuncta est. De qua dicitur in psalmo: Dominus regnavit decorem induit. Et in psalmo alio ad ipsum Dominum: Confessionem & decorem induisti, amictus lumine sicut vestimento. Pallium Dei jam dicta ejus Ecclesia intelligitur. De quo in libro Genesis scriptum est: Lavit in vino stolam suam, hoc est, in passione carnem suam: & in sanguine uvæ pallium suum, id est Ecclesiam suam. Calciamenta Dei, mysticè significant incarnationem ejus, quam ex mortalitate humani generis assumere dignatus est. De qua incarnatione sua ipse per Prophetam in psalmo ait: In Idumæam extendam calciamentum meum, id est, in plebe gentilium manifestabo incarnationem

meam. Gressus Dei, adventus Filii Dei in mundum est, & regressus ejus ad Patrem. De quibus psalmista ait: Visti gressus tui Deus, gressus Dei mei & regis mei (qui est in sancta:) id est, ipsius de cælo, qui venit in uterum virginis. De utero verè nascendo positus est in præsepio, postquam autem omnia implevit pro quibus à patre missus venerat, appensus est in ligno crucis: de cruce autem depositus, secundum corpus sepultus est, & secundum animam ad infernum descendit. Tertia autem die per potentiam suæ divinitatis, carnem suam de sepulchro suscitavit. Et post diem resurrectionis quadragesimo die videntibus Apostolis ascendit in cælum, & sedet ad dexteram Patris, id est ad gloriam ejus. Hi sunt enim gressus Filii Dei: iste descensus & ascensus ejus, qui frequenter in Sacris Scripturis legitur. Ascendere dicitur Deus, cum filius carnem ex nobis assumptam in cælum velut captivam evexit: sicut in psalmo illud: Ascendit in cælum, captivam duxit captivitatem: quia naturam humani generis, quæ à diabolo in mundo captiva retinebatur, alluens secum in cælum, ubi nunquam ante fuerat, tanquam captivam deportavit. Abcondere faciem suam Deus legitur, cum hominibus quibusdam, eorum exigentibus culpis, cognitionem suam abscondit: sicut in populo Judæorum nunc impletum videmus, quia negantes filium Dei, scientiam veri Dei ita perdidit, ut similes fierent gentibus quæ Deum non cognoverunt. Ostendere faciem suam dicitur Deus, cum respectu gratiæ suæ quibus vult, scilicet electis suis, se ipsum in corda eorum occulta inspiratione insinuat, & ad diligendum se amorem suum infundit. Sedere dicitur Deus, non corporaliter humano more, sed potentialiter super omnem creaturam regnando præsidere. Unde est illud in psalmo: Regnabit Dominus super omnes gentes, Deus sedet super sanctam sedem suam. Sedere autem Deus dicitur super Cherubim (quod interpretatur plenitudo scientiæ) per quod significantur sancti angeli, sive mentes spiritualium virorum, in quibus Deus invisibiliter præsidet & regnat. In illis enim sedet qui scientia ejus & dilectione pleni sunt. In proverbii quippe Salomonis scriptum est: Anima iusti sedes est sapientiæ. Sapientia vero Dei Patris Christus est, qui in animabus sanctorum Dei sedere dicitur. Descendere Deus in mundum dicitur, quando aliquid novum quod ante non fecerat in creatura humana operatur: sicut Filius Dei Patris descendisse narratur, quando veram carnem ex Maria virgine propter redemptionem nostram suscepit, & Deus homo fieri dignatus est, non amittendo quod erat, sed assumendo quod non erat. De cujus descensione, id est, incarnatione, in psalmo scriptum est: Inclinavit cælos & descendit, & caligo sub pedibus ejus. Cælos inclinavit, qui adventum suum prænunciavit, angelos sive Prophetas misit, qui adventum ejus hominibus nunciarent. Caligo sub pedibus ejus, quia impii homines ob suam malitiam cæcati incarnationem ejus agnoscere non poterunt, nec adhuc possunt. Stare Deus dicitur, cum nos infirmos, id est suam creaturam ad penitentiam & conversionem patienter sustinet, ut est illud in Abacuc Propheta: Stetit & mensus est terram, & dissolvit gentes, id est, stetit ad subveniendum, & dissolvit credentes in se, à vinculis peccatorum. Transire dicitur Deus, cum de cordibus quorumdam hominum, in quibus antea per fidem condebat, postea subrepente perfidia vel quolibet delicto, ab eis recedit & ad alios transit: quemadmodum de Judæis ad gentes, de Hæreticis ad Catholicos, seu de quibuslibet irreligijs & negligentibus pro vitio suo recedere dicitur, & ad alios transire: quod non localiter aut visibiliter, sed invisibiliter occulto iustoque judicio facere consuevit. Ambulare dicitur Deus, non de loco ad locum transiendo, quia impium est ita credere: sed ambulatio ejus est in cordibus sanctorum delectatio, sicut scriptum est: Et inhabitabo in eis, & ambulabo, & ero illorum Deus. Vel certè Dei ambulare, est in sanctis prædicatoribus suis de loco ad locum transire. Loqui Dei, est invisibiliter sine voce vel quolibet strepitu in mentibus sanctorum voluntatem suam atque rectum intellectum inspirare, seu futura sicut in sanctis Prophetis revelare. Quæ locutio Dei, ut quidam volunt, tribus modis accipitur. Primo namque modo per subiectam creaturam: sicut ad Moysen cum in rubo & igne apparuit. Vel sicut ad Abraham atque Jacob, sive ut jam dictum est, Moysen & cæteros sanctos, quibus in angelis apparuit. Secundo vero modo, in somnis: sicut ad Jacob & ad Zachariam Prophe-

tam, & ad Joseph sponsum Mariæ, & aliis sanctis, quibus secreta revelare voluit. Tertio autem modo, neque per creaturam visibilem, neque per hominem, sed occulta tantum inspiratione invisibiliter corda eorum tangendo afficit, sicut in libris Prophetarum scriptum est, cum ipsi Prophetæ subito afflati Spiritu sancto, exclamant dicentes: Hæc dicit Dominus. Videre Dei, est bona acta probare, sicut est illud in Genesi: Vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona, id est intelligentibus esse bona demonstravit. Aliter videre Dei, est mala hominum scienter reprobare, sicut est illud in Isaiâ Propheta: Et vidit Deus, & apparuit malum in oculis ejus. Item aliter videre Dei, est nos videntes facere: ut est illud in psalmo: Proba me Domine, & scito cor meum &c. Modus iste locutionis in libro Job similiter reperitur, ubi de sapientia Dei Patris postquam plurima & insignia locutus est, de Deo Patre adjunxit. Tunc vidit illam & enarravit, & investigavit, & imperavit, id est videntes fecit ut prædicantes, & investigantes atque aliis nunciantes. Cognoscere Dei, est cognoscere facere, sicut ait ad Abraham: Nunc cognovi quod timeas Deum. Neque enim in tempore novit qui scit omnia antequam fiant: sed cognoscere dicitur Deus cognoscere facere, ut qui prius de se quales essent incogniti erant, per ejus interrogationem & probationem quales essent sibi metipsis cogniti fierent: tale est illud in lege Moysi de populo Israelitico: Tentabo, inquit, eos, utrum custodiant mandatum meum, an non. Nescire Dei, est reprobare, sicut in Evangelio dicitur: Nescio unde sitis, recedite à me omnes qui operamini iniquitatem. Zelare Dei dicitur, cum creaturam suam quam non vult perire, sæpe castigat, corripit, atque flagellat, & flagellando adducit ad se. Vel zelare Dei dicitur, cum nullum peccatum impunitum vult relinquere. Iustus est enim: & ideo omnis injustitia execrabilis est illi: quia ut dictum est, nihil impurum patitur impunitum. Irasci dicitur Deus, non animæ motu, vel quavis alia perturbatione, quæ omnino illi accedere non potest, sed creaturæ delinquenti, id est hominibus impijs & peccatoribus, justam dicitur inferre ultionem: hoc est, reddere illis que merentur: & hæc est ultio divina, & ira vel furor ejus dicitur. Pœnitere Deus dicitur, non quod more hominum de transactis operibus suis pœnitent: qui enim omnia novit antequam fiant, pro præteritis actibus suis pœnitere non potest: sed pœnitentia Dei est statuta mutare, & quod prius aliter inchoatum fuerat, in aliud mutare: id est de bono, exigentibus culpis, in malum. Sicut de Saule legitur pœnituisse Deum, quod constituit eum regem. Vel sicut nunc videmus in populo Judæorum, qui cum esset populus Dei, ob impietatem suam factus est synagoga satana. De malo vero in bonum, sicut accidit in populo gentium, qui cum prius non esset populus Dei, nunc autem per gratiam Christi populus Dei factus est. Hoc quippe modo occulto Dei judicio Judas Christi proditor, de Apostolatus lapsus gradu in inferni barathro demersus est. Latro vero post crimen rapacitatis de cruce ad paradysum translatus est. Hanc quoque mutationem de bono ad malum, ut dictum est, sive de malo ad bonum: quia occulto iustoque Dei judicio per sententiam justitiæ suæ, sive per misericordiam ejus fiat, pœnitentiam Dei dicimus, sicut expressus in libro Jeremiæ scriptum est. Non pœnitere Dei, est statuta nullo modo mutare. Unde est illud in psalmo: Juravit Dominus & non pœnitentibit eum, id est pater ad filium: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Sacerdos enim Dei Patris dicitur Filius Dei non secundum divinitatem, sed secundum humanitatem: in qua se pro nobis per passionem & mortem suam acceptabile sacrificium Deo Patri obtulit, ut ipse esset sacerdos qui & sacrificium. Oblivisci dicitur Deus, cum quibusdam impijs & peccatoribus non miseretur: quod utique non facit propter crudelitatem, quæ in Deo non est, sed per occultum iustumque judicium suum. Indurare dicitur Deus quorumdam corda malorum, sicut de Pharaone Rege Ægypti scriptum est: non quod omnipotens Deus per potentiam suam eorum corda induret, quod impium est ita credere, sed exigentibus eorum culpis, cum duritiam cordis, quam ipsi sibi omnia mala perpetrando nutriunt, non auferat: quasi illos ipse induret, quos iusto judicio induratos sinit. Dormire Dei, est cum unigenitus Dei Patris in assumpta carne pro nobis mori dignatus est: cujus mors rectè dulcis somnus fuisse prædicatur, ipso dicente per Jeremiam Prophetam: Ideo quasi à somno excitatus

sum, & vidi, & somnus meus dulcis est mihi. Aliter dormire Deus dicitur, cum fides ejus inter prosperitates hujus mundi, in quorundam corde fidelium non vigilat, sed dormit: hanc dormitionem ipse significavit, cum in mari inter fluctus maris dormivit. Vel certè dormire Dei, est anxius tarde subvenire, sicut est illud in psalmo: Exurge, quare obdormis Domine? Vigilare Dei, est in defensione suorum electorum & ultione inimicorum suorum manifestè se demonstrare.

Tractatus præcedens multo fusius habetur inter opera Augustini, tomo quarto, titulo de essentia divinitatis.

CENSURA EPISTOLÆ SEQUENTIS.

Plura fidei symbola reperiuntur inter Epistolas divi Hieronymi: quorum nullum arbitror ab ipso conscriptum fuisse. Est unum titulo Damasi. Est alterum nomine Rufini. Sunt duo nomine Hieronymi, quorum alterum inscriptum est ad Cyrillum, alterum ad Damasum. In Epistola cujus initium est: Deceveram quidem: meminisse non nihil de fide quam sancto Cyrillo dederis conscriptam, sed alienam, ni fallor, non suam. Sequitur enim: Caterum ego fidei meæ testes habeo aures tuas, & beati fratris Zenobii. Hæc igitur omnia in unum conjectamus locum.

DAMASI SYMBOLUM.

CREDIMUS in unum Deum Patrem omnipotentem: & in unum Dominum nostrum Jesum Christum Filium Dei: & in Spiritum sanctum: Deum non tres Deos: sed Patrem & Filium & Spiritum sanctum, unum Deum colimus & confitemur: non sic unum Deum quasi solitarium, nec eundem qui ipse sibi pater sit, ipse & filius: sed Patrem esse qui genuit, & Filium esse qui genitus sit: Spiritum vero sanctum, non genitum, neque ingenitum, non creatum neque factum, sed de patre filioque procedentem patri, & filio coæternum & coequallem & cooperatorem, quia scriptum est: Verbo Domini cæli firmati sunt, id est, à Filio Dei: & spiritu oris ejus omnis virtus eorum. Et alibi: Spiritum tuum & creabuntur, & renovabis faciem terræ. Ideoque in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti unum confitemur Deum, quod nomen est potestatis, non proprietatis. Proprium nomen est patri, pater: & proprium nomen est filio, filius: & proprium nomen Spiritui sancto, Spiritus sanctus. In hac trinitate unum Deum colimus, quia ex uno patre quod est, unius cum patre natura est, unius substantiæ, & unius potestatis. Pater filium genuit, non voluntate, nec necessitate, sed natura. Filius ultimo tempore ad nos salvandos, & ad implendas scripturas descendit à patre, qui nunquam desinit esse cum patre. Et conceptus est de Spiritu sancto, & natus ex virgine, carnem & animam & sensum, hoc est, perfectum suscepit hominem: nec amisit quod erat, sed cepit esse quod non erat: ita tamen ut perfectus in suis sit, & verus in nostris. Nam qui Deus erat, homo natus est: & qui homo natus est, operatur ut Deus: & qui operatur ut Deus, ut homo moritur: & qui ut homo moritur, ut Deus resurgit. Qui devicto mortis imperio, cum ea carne, qua natus & passus & mortuus fuerat, & resurrexit, ascendit ad patrem, sedetque ad dexteram ejus in gloria, quam semper habuit & habet. In hujus morte & sanguine credimus emundatos nos, & ab eo resuscitandos die novissimo in hac carne qua nunc vivimus: & habemus spem nos consecuturos præmium boni meriti, aut penam pro peccatis æterni supplicii. Hæc lege, hæc crede, hæc retine: huic fidei animam tuam subjuga, & vitam consequeris & præmium à Christo.

SYMBOLI EXPLANATIO ad Damasum.

CREDIMUS in Deum Patrem omnipotentem, cunctorum visibilium & invisibilium conditorem. Credimus & in Dominum nostrum Jesum Christum, per quem creata sunt omnia: verum Deum unigenitum, & verum Dei Filium: non factum aut adoptivum: sed genitum & unius cum patre substantiæ, quod Græci dicunt *ὁμοῦσιον*: atque ita per omnia æqualem Deo Patri, ut nec tempore, nec gradu, nec